



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 87. Cophti ad Tridentinam Synodum a Papa invitati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI.
A C. 1561.

§. LXXXVII.

Cophti ad Tridentinam Synodum a
Papa invitati.

Rain. ann.
1560. n. 77.
Simon hist.
crit. de la
creance^s des
court. des
Nation. du
Levant c. 10

Cum summus Pontifex ex omnibus
hisce diversis erroribus Ecclesiam
devastantibus fatis aperte cognosceret,
promptam Concilii inchoationem sum-
mopere esse necessariam; hinc suis Le-
gatis jamjam Tridentum delatis injun-
gebat, ut ineunte anno sequenti (*)
Concilio initium darent: nec his con-
tentus Pontifex, insuper ad hanc Sy-
nodum Cophtos pellicere aggredieba-
tur. Cophti erant Christiani Jacobitæ,
seu Monophysitæ in Ægypto habitan-
tes, qui Dioscori Patriarchæ Alexan-
drini erroribus adhærentes unicam dum-
taxat in Christo naturam admittebant,
eorumque Ecclesia a decem, vel unde-
cim Episcopis, unoque Patriarcha a
præfatis Præsulibus, Clero, ac populi
Primoribus electo, qui sese Patriarcham
Alexandrinum nominabat, regebatur:
porro iidem cum Græcis circa præci-
puos fidei articulos, præsertim circa
opiniones, ritusque, in quibus eorum
Eccle-

(*) Observes velim, hæc gesta fuisse an-
no Domini 1560. ut patet ex Pontificis epi-
stola ad Christophorum Roderiquez Apostoli-
cum in Ægypto Nuntium.

Ecclesia a Latina discrepat, omnino consentiunt, atque a Divi Marci temporibus fuorum Patriarcharum successio non fuit interrupta.

Sæcul. XVI.
A C 1561.

§. LXXXVIII.

Duo Jesuitæ ad Cophtorum Patriarcham a Papa ablegati.

EO tempore Gabriel Patriarchali dignitate sub Pio IV. fulgebat, datusque ad eundem literis quempiam ad se transmitti petebat, ut de opportunis suam Ecclesiam Romanæ uniendi mediis cum illo conferre posset. Annuit Pius IV. Patriarchæ desideriiis, hancque in rem ablegat duos Jesuitas, Christophorum Rodericum natione Hispanum, & Joannem Baptistam Elianum Ægyptium, qui abjurata Judæorum superstitione Christianorum sacra amplexus erat; igitur ambo Venetiis die prima Octobris hoc anno unacum Abrahamo portu solvunt, ac juxta Ægyptiorum Sacerdotum morem vestiti die tertia Novembris Alexandriam veniunt: cum autem Patriarcha Cairi ageret, cum illo nonnisi die vigesima quinta Decembris Dominicæ Nativitati sacra conferre poterant, illumque Virum ætate quidem oppido senem, literarum vero omnino expertem experti sunt, ab eo tamen perbenigne, ac honorifice excepti literas summi

Sacchini hist.
Soc. l. 5.
n. 135. l. 6.
num. 121.
Aug. Oldoinus apud
Ciaccon. in
vita Pii IV.
p. 880.